



lapidibus diuersum fuisse, ut potius contendamus, Vrim ac Thummim denotare lapides, in pectorali P. M. dispositos, *lucidos* ac *solidos*, quae summa lapidum uirtus, et maxima fuit praestantia, idque haud leui argumentorum robore adstruitur. Ante enim, quam lapides isti caesi essent atque exsculpti, nunquam occurrit appellatio Vrim ac Thummim, quod fieri poterat, si materiale quid ac diuersum fuisset a lapidibus. Pectorale, quo indutus esse debuit P. M. si oraculo dignus haberi uellet, una cum lapidibus sine mentione Vrim ac Thummim iniecta memoratur *Exod. XXVIII, 30.* Idem denique pectorale cum Vrim et Thummim, omissa lapidum mentione, describitur in historia inaugurationis solemnissimae Pontificis M. *Leuit. VIII, 8.* E quibus id effici posse credo, appellationem lapidum atque Vrim ac Thummim ex consueto Scripturae S. sermone perinde haberi, alterumque in alterius locum substitui posse. Ad quae omnia et hoc uel maxime accedit, quod in omni scriptura Mosaica ratio conficiendi Vrim ac Thummim sigillatim haud exponatur, quod procul dubio accidisset, si materiale quicquam a lapidibus diuersum fuisset. Admodum enim sollicita fuit cura Mosis in enarranda minimarum partium historia, quae maiori, quam in reliquis, iure in hac parte describenda postulari posse uidebatur. Facilius sanctiorque est sententia, qua creditur, Vrim ac Thummim, siue lapides pretiosos in pectorali P. M. digestos, uirtutem suam non ex re quadam materiali, nec aliunde, quam a promissione singulari Spiritus S. habuisse, quae gratiam per oracula manifestandam Pontifici M. sacro pectorali induto, clementissime pollicebatur, quoad illud sanctissime custodiretur. Quo autem amisso deesse quoque coepit gratia Dei, per edita oracula manifestari solita. Declarabatur uero sanctissima Numinis uoluntas Pontifici M. nequaquam rogatu cuiusuis e plebe hominis, sed tantummodo ex precibus Regis, Praefidis, totiusque Synedrii M. et sacerdotis ad bellum uncti. Admodum perspicua sunt Hebraeorum
uerba